



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. LXVIII. Secunda eiusdem corporis diui Augustini honorifica translatio
in vrbe[m] Papiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

idemq; literis excultus, qui parum credulus S. Augustini corpus eo loci asseruari, nullis rationibus ad hoc sibi persuadendum induci potuit. Accidit verò peropportune, cæcum quemdam adolescentem, qui huic viro nobili cognitus esset, singulari pietatis affectu semet prosternere coram sanctis hisce reliquiis, illas palpando, oculis admo- uendo, & exosculando: quod dum facit, ecce spectante omni populo, eodemque homine primario, repente pristino visui restituitur. Quo peruulgato miraculo, peccatum suum is qui fuerat incredulus, agnouit, & deinceps Augustini cultor religiosus existit. In eadem insulâ copiosis floruit miraculis per annos fere ccxxi. Quare, ait Oldradus, manifestum euadit, Deum sibi caros & acceptos illustrare miraculis, vt sanctitatem illorum prodat, ac hoc velut sigillo comprobet.

Antiquum
Ordinis
Eremitani
Breuiariũ
in r. trans-
lat. S. P. Au-
gustini.

Epist. ad
Carolũ
Magnum.

CAPVT LXVIII.

Secunda eiusdem corporis D. Augustini honorifica translatio in urbem Papiam.

ANNO circiter DCCXXV. cum Barbarorum infinita multitudo in Sardiniam irrumpens, loca sacra pollueret, & in his D. Augustini sepulcrum, Luitprandus Rex Longobardorum, Religionis Catho-
licæ

Oldradus
Epist. supra
dictâ ad
Carolũ
Magnum.

Anno 725.
Corpus di-
ui Augu-
stini ab E-
remitis in
Sardinia
asseruaba-
tur, qui et
iamnum
ibi domum
habent.

2. Reg. 6.
Summâ a-
nimi humi-
litate Rex
sancto Cor.
pori obuiam
procedit.

licæ obseruantissimus, à Petro Papiensi Epi-
scopo id rescians, Legatos suos, Proceres,
nobiles, cum magno argenti & auri pon-
dere transmisit in Sardiniam, vt corpus
tanti Præfulis ab infidelibus redimentes,
ad ciuitatem Papiensem transferrent. Qui
mandato Regis obsequentes, nauem appu-
lerunt ad Sardiniam, & redimentes san-
ctum corpus, quod ibi à paucis Eremitis
tot inter hostium incursus asseruabatur,
nauique illud imponentes, Dei benignita-
te consecuti valdè idoneam tempestatem,
spatio quatuor & viginti horarum, detule-
runt idipsum in portum Ianuensem. Tum
statim præmisere, qui Regi nuntiarent hu-
iusmodi aduentum suum, vtque simul ab
eo impetrarent, qui debitâ pompâ ac sup-
plicatione tam sancti corporis reliquias ex-
ciperent. Hac de re certior effectus Rex, ac
magnopere gauisus, Deo gratias egit, quòd
ex animi sui sententiâ cuncta cecidissent.
Nec interposita mora, cōuocatis omnibus
suarum ciuitatum Episcopis, cum vniuerso
Clero, magnâ Procerum multitudine, vs-
que ad agrum Dertonensem, vt David ar-
cam decentiore loco positurus, sacris reli-
quiis obuiam processit, maximâ animi hu-
militate. Proximus autem loco factus in
quo sanctum corpus depositum erat, regis
infi-

in signibus exutus, nudo capite ac pedibus, tantâ pietate ac reuerentiâ processit, vti omnes stuperent, Deumque pro tantâ Regis demissione, ac miraculorum frequentia prædicarent. Igitur inter Diuorum laudes & hymnos, mature deuenientes ad prædium Sauinariense, eodem loci & Rex ipse & vniuersus Episcoporum ac Procerum comitatus, iuxta SS. reliquias pernoctarunt.

Aurorâ diei sequentis illucescente, cum Ticinum iter tenderent, ecce nullatenus sanctum corpus mouere valuerunt. Ergo cum nequidquam ad feretrum deportandum frequentes accederent, Rex veste conscissâ turpatoque vultu in terram se prostrauit; destinauerat namque sanctas reliquias Papiam in urbem suam deportare, quibus sumptuosum & perelegans monumentum extruxerat, quâ iam spe omnino frustrari videbatur. Omnibus id admirantibus, ynaque cum Rege factum dolentibus, Gratianus Nouariensis Episcopus, vir magni iudicij, sanctitatis & doctrinæ, persuasit Regi vt hoc Sauinariense prædium, Ecclesiæ S. Petri in Cælo aureo, quod olim Benedictinorum fuit, nunc verò nostris accessit (ita dictum propter aëris salubritatem, splendorem ac opulentiam) & ad quod Cælum aureum transferre sacrum hunc

*Admirabile
ratione di-
gnum.*

hunc thesaurum proposuerat, in Dei & sancti Augustini honorem voueret, quò sic posset optatum in locum deferri. Ad hæc suasisit illum vestium apparatus exueret, & cilicio atque aspero sacco se vestiret: haud enim hæc ornamenta regia conuenire in deportatione tam sancti Antistitis, qui verus fuerat amator paupertatis. Obedit Rex prudens consilio, pratum Dep, Diuoque quem erat portaturus addicit, exuit se purpurâ regioque ornatu, assumit humile sagum, dein summâ totius hominis demissione beatissimo Episcopo supplicat imprudentiam hanc sibi remitti, utque admittat quæ restabant, humilia & officiosa obsequia. Tentaturus igitur num precibus his locus esset, accedit ad feretrum, succollat, iamque reperit onus leuissimum; adeò ut quod antè ne à pluribus quidem moueri poterat, nunc à duobus citra laborem ferretur. Non absimile huic, quod euenisse scribunt Imperatori Heraclio, dum crucem Dominicam Ierosolymis inferre conaretur: non enim prius id ab eo fieri potuit, quam regium ornatum poneret. Forsitan id eâ de causâ euenierit, quòd D. Augustini corpus sanctæ Crucis imaginem quadamtenus in semetipso expresse- rit, dum prauos affectus eiusdem edomuit, necnon iei-

*Voto facto,
& regio or-
natu seposi-
to, citra la-
borem diui
Augustini
corpus fer-
tur.*

ieiuniis crebris, vigiliis ac laboribus pro Ecclesiâ Dei exantlatis eneruauit omnes malas animi cupiditates: vt de eo iure dici posset, vitam eius omnem fuisse perpetuam crucem, in quâ seipsum confixerit.

Peragebant igitur cœptum iter ingenti gaudio, collaudantes Dei omnipotentiam, qui vœta Regis tam facillè exaudisset. Ciues quoque simul ac aduentum Regis cum his sancti corporis reliquiis intellexerunt, obuiam illis processere, & suauis hymnorum concentu maximoque honore, pro tanti Antistitis merito, eas intulerunt in Ecclesiam diui Petri in Cælo aureo, nimirum prid. Kal. Martias, anno Christi DCC. XXV. Gregorio Secundo Pontifice. Quâ in re & illud est obseruandum, aptè in Apostolicâ fuisse depositum Ecclesiâ, qui pro Catholicâ decertans fide, sectariorum hostiumque D. Petri vefanos impetus repressit.

Beda.
Paul. Diac.
Marianus
Scorus.
Sigebertus, &c.

Idem templum Rex Luitprandus donauit tot prædiis, vasis aureis & argenteis, tot denique ornamentis, vt opinione omnium maiora donaria hæc videri possint. Existimabat idem se custodibus sancti corporis dare haud posse, quod pro suâ incredibili pietate satis dignum appareret. Quin adeo pietas in hoc sacrum depositum Regem exciuerat, vt noctu atque inter-

Idem Oltradus sup.

ter-

366 DE VITA D. AVGVSTINI
terdiu hymnos & cantica psallentibus in
Ecclesiâ concineret, & in eâ frequens per-
noctaret.

CAPVT LXIX.

*Varia miracula, quibus Deus sanctitatem
D. Augustini confirmare voluit.*

Oldradus
apud Baro-
nium t. 9.
anno Chri-
sti 725.

SACROSANCTVM verò corpus pluribus
ibi claruit miraculis, ad fidem stabilien-
dam posterorum, ita vt multi solo pigno-
rum sacrorum attactu, variis morborum
generibus liberati fuerint. In ceteris qui cu-
rati fuerunt, peregrini aliquot Transalpini
quadraginta numero, Romam contendentes,
cùm in itinere prope vicum Cauæ, qui
locus abest Papiâ circiter triginta millibus
passuum, ex lassitudine substitissent, sub
horam noctis secundam è templo proxi-
mo, quod erat sacrum D. D. Cosmæ & Da-
miano, videre quemdam progredi veste
indutum Pontificali: qui vicinior eis factus,
rogauit quoniam iter instituerent. Atque hi
cùm respondissent, se Romam pergere lo-
ca sancta visitandi gratiâ, & vt singuli quâ
premebantur necessitate, solui possent, me-
ritis eorundem Diuorum, quorum ibi re-
liquiæ condebantur, ad eos dixisse fertur
in hanc sententiam: Pergite ad urbem pro-
ximam vobis Papiam, & inuisite templum
beati